



Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praeisolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Advenit hiems!

Dies¹ spatiis brevioribus artantur,¹ nemora frondibus nudantur, montes velamine² niveo² vestiuntur, amnes frigore rigescunt.³

Quam iucundum est nunc in cubiculo frigus⁴ lignis super foco large repositis dissolvere!⁴ Sed iucundius est sub divo ex aere puro spiritum ducere,⁵ exercitationesque corporis varias agere!


Quam magnificum est in planicie glaciata⁶ sumptis soleis ferratis⁷ pervolitare,⁸ cursu certare, sinuoso flexu⁹ procedere!⁹ Nonnunquam etiam procumbes, sed hoc nihil est mali!

Quantopere delectaris trahea,¹⁰ cum de medio colle¹¹ delaberis!¹² Sed glebulis¹³ quoque nivis ludere haud spernendum est! Duarum partium altera alteram aggreditur, donec victrix devictam terga

vertere cogit. Mox adversarii requiem pugnae afferunt¹⁴ et foedere pacis animos soriani¹⁵ inque memoriam proelii nivem in hominis formam fingunt. Pro capitibus tegmine vas aliquid ei imponitur, in manibus autem baculum vel scopae¹⁶ collocantur.

Haec sunt gaudia hiemis, inter quae

¹ rövidebbek lesznek a napok ² hólepel ³ besagy
⁴ elüzni a hideget ⁵ tiszta levegőt szíjni ⁶ jégpálya
⁷ koresolya ⁸ végig futkosni ⁹ körözni ¹⁰ szánkó
¹¹ domboldal ¹² lecsúszik ¹³ hógolyó ¹⁴ fegyverszünetet köt ¹⁵ kibékül ¹⁶ seprő.



Per.
Lat
020

horae leves¹⁷ consumuntur¹⁷ et corpus apte exercetur.

Sed ne quid nimis, carissimi! Haec omnia agite, ut vos reficiendo¹⁸ animus quoque corroboretur,¹⁹ sicut proverbio quoque dicitur, ut mens sana sit in corpore sano! M.

¹⁷ gyorsan elrepül ¹⁸ felüdül ¹⁹ erősödik.

Marcus Porcius Cato.

Quis est discipulus, qui nomen Catonis non audiverit? Cato est vir Romanus, cuius sapientia et nomen in proverbium venit. Maiores quoque nostros magnā Catonem veneratione prosecutos esse certum est. In Hungaria nomen Catonis nimirum semper floruit. Exponam ergo vobis, qualis homo fuerit Cato. Nihil invenitur utilius, quam virorum illustrium facta in memoriam revocare, ut nos ad exempla sequenda provocent.

M. Porcius Cato (Censorius v. Sapiens) ignobili loco natus iam adulescens (XVII

annorum) bello Punico secundo adversus Hannibalem armis contendebat. Postea in Hispania res tam feliciter gessit, ut plures urbes ibi ab eo captas, quam dies exactos diceret. Clarus factus est, cum matronarum luxum accusare ausus est. Matronae enim Romanae confecto bello Punico postulabant, ut lex Oppia, quae tempore belli contra luxum lata est, abrogaretur.¹ Cato quidem restitit acerrimā oratione, attamen lex abrogata est. Multos per annos litteris Graecis atque artibus omni ope et opera sine ullo eventu obnixus, in senectute mutare sententiam coactus est. Immo Catonem senem litteras Graecas didicisse apertum est. Amantissimus parsimoniae, cum consulatum gereret, triginta sestertiis opsonium² ad cenam e foro comparavit et idem vinum, quod opifices³ potavit, unde Seneca ait: Marcum Catonem tam reipublicae Romanae profuisse, quam Scipionem: alterum enim cum hostibus civitatis, alterum cum mōribus bellum gessisse.

¹ hatályon kívül helyez, érvénytelenít ² fözelék
³ kézműves.



Colloquium.

Pater: Veni mecum, filiola carissima, ambulatum!

Agnes: Libenter, mi pater, praesertim, si inter ambulandum mihi aliquid narrabis. Nam solitus es semper talibus me delectare. Et nunc quoque videbam te legentem, et quidem libellum quendam Latine scriptum. Certo scio eum suavissimum fuisse, nam ridebas. Quae erat causa hilaritatis tuae?

Pater: Multa mihi garris,¹ filiola. Sed dic mihi, quid legeritis in schola hodie?

Agnes: Legebamus fabulam Phaedri, quae inscripta est: «Canis per fluvium carnem ferens».

Pater: Et quo modo tibi placebat fabula?

Agnes: Dulcissima erat, sed non possum intellegere, cur canis nesciverit se cibum amissurum, si eum ore tenere desierit?

Pater: Res haud ita se habet, filiola. Canis re vera animal prudens est, sed in fabula Phaedrus iocose demonstrat fore, ut etiam cani, qui quasi prudentiae inter animalia est exemplum, aviditate capto male eveniat.²

Agnes: Nunc iam intellego fabulam. Ceteroquin fabulae Phaedri valde mihi placent. Et in legendo succurrit mihi canis avi, quem valde diligo. Putasne illum non esse tristem, quod me nunc non videt? Et quando me videbit? Annus circumagetur plenus,³ cum ad avum proficiscemur!

Pater: Noli mea filiola maerere, quod feriae finitae sunt. Malo tibi aliam fabellam narrare de quodam altero cane, qui peiorem habuit dominum, quam tu fuisti deliciis tuis. Itaque ausulta fabulam!

«Canem quidam habens, quo magis ab illo diligatur, semper cum suis pascebat mani-

¹ fecsegysz ² rosszul jár ³ elmúlik egy teljes év

Omnibus nobis notum est illud Catonis: Ceterum censeo, Carthaginem esse delendam. Inimicus enim Carthaginiensibus usque ad ultimum vitae halitum⁴ esse non desiit, arbitratus Carthagine florente salvam esse rempublicam minime posse. Cato aliis contradicentibus quidquid in senatu consultabatur, semper adiiciebat: «Ceterum censeo, Carthaginem esse delendam.» Patres in Carthaginem irritati⁵ bellum nimirum Carthaginiensibus indixerunt, at priusquam urbs dētestata⁶ deleta esset, vita Catonis extincta est. (149. a. Chr. n.)

Censor factus senatu dimovit omnes severissimē, sed a partium⁷ studio⁷ alienus, quos tanto honore indignos iudicavit. Severitate, quā praefuit⁸ potestati,⁸ etiam eos insectatus est, qui contra humanitatem⁹ peccaverunt, sicuti narratiuncula demonstrat. Lucius Flamininus vir consularis cum in Gallia esset, quandam Gallam formosam ad se vocavit, cui forte, cum inter cenandum sermonibus tempus tererent, dixit multos capitū damnatos sibi in potestate esse,

bus ligatumque solvebat.⁴ Ligari autem et verberari iubebat a servo, ut beneficia a se, maleficia autem a servo in illum viderentur esse collata.⁵ Aegre autem ferens canis, se assidue ligari verberarieque, aufugit et cum increparetur⁶ a domino, ut ingratus et tantorum beneficiorum immemor, cur se fugisset, a quo semper dilectus pastusque⁷ fuisse, ligatus autem verberatusque nunquam, respondit: «Quod servus tuo iussu facit, a te factum puto».

Agnes: Gratias tibi, patercule,⁸ pro suavi tua fabula!

Pater: Certum habui fore, ut fabula tibi placeat. Sed noli credere me eam ex cogitasse! Vir quidam doctus hanc fabulam scripsit: Abstemius. Illius est fabula, et quidem fert numerum tricesimum sextum, unde conicere⁹ potes, quam multas ille scripsiterit fabulas! Sed nunc eamus domum, mater nos iam exspectat.

⁴ kötelékeitől megszabadít ⁵ hogy úgy tűnjék a dolog, mintha a jótétemények tőle származnának...
⁶ rátámad ⁷ táplál ⁸ apácskám ⁹ következtet..

quos securi esset percussurus. Cum mulier curiose¹⁰ securi percutiendi modum sciscitaretur, illico unum ex illis damnatis adduci iussit Flamininus et inter pocula et epulas ad spectaculum mulieris hominem mactare id est illum miserum suis manibus securi percutere et mensam sanguine inquinare¹¹ non recusavit. Quam ob rem Flamininum severe puniendum duxit Cato ac senatu eum dimovit. Sed narraturus sumi vobis lepidam atque ridiculam quoque narratiunculam ex vita Catonis. Homo quidam supersticiosus¹² cum caligas¹³ suas aliquando a muribus arrosas¹⁴ reperisset, hoc portento¹⁵ confusus Catonem consuluit, quid māli portenderetur? Non est sane portentum, — inquit Cato — quod mures arrose runt caligae; at si caligae mures arrosissent, id re vera portentum ac miraculum fuisset.

Cato quinque et octoginta annos natus mortem occubuit. Cum eo acerrimus priscorum morum Romanorum propugnator¹⁶ et defensor e vita excessit, qui magnam nominis sui famam posteritati reliquit.

Sebastianus A. Módry.

⁴ lehelet ⁵ ingerel ⁶ átkos ⁷ pártatlanul ⁸ hatalmat gyakorol ⁹ emberies érzés ¹⁰ kíváncsian ¹¹ be szennyez ¹² babonás ¹³ bőr lábbeli ¹⁴ megrág ¹⁵ csoda ¹⁶ előharcos.

Astronomus¹ dissolutus.²

In telescopio³ cuiusdam astronomi amici hilares clam musculum posuerunt. Cum ille telescopio lunam spectasset ibique bestiam elephanto quinques maiores vidisset, lunam minime vastam,⁴ sed animalibus frequentem in publico proposuit.⁵ Res omnes doctos ubique gravius movit. Aliquot diebus post musculo in telescopio iam morte absumpto, cum astronomus iterum lunam perscrutans⁶ cadaver muris conspexisset, animal in luna morbo confectionum⁷ praedicavit.

Vir doctus cum fama divulgata rationis⁸ rei⁹ certior factus est,⁹ lunae siderumque oblitus loco aufugit.

¹ csillagász ² szórakozott ³ távcső ⁴ üres ⁵ nyilvánosan hirdette ⁶ vizsgál ⁷ betegségben elpusztult
⁸ a dolog mibenléte ⁹ értesült.

De Prometheo.

Ecce videtis picturam de Prometheo! Certe complures vestrum historiam eius iam audivistis, rei ignaris nunc narrabo.

Prometheus filius erat Iapeti sapientissimus et ingeniosissimus, qui multis rebus¹ inventis¹ homines locupletavit.² Usque eo³ terrigenae⁴ in antris habitaverant, ille mortales domos de lateribus⁵ et lignis aedificare docuit; ostendit eis tempora⁶ anni,⁶ solem orientem occidentemque, excoxitavit numeros et erudit agricolas, quo modo iumentis iugum⁷ imponerent⁷ frenisque⁸ equos coercent.⁸ Immo fiducia⁹ generis sui divini Olympum ascendit, ubi facula¹⁰ foco caelestium admota¹¹ scintillam¹² furatus est,¹³ quā focos proliis terreae incenderet. Quod



impedit Iuppiter minime potuit, sed audaciam Iapetionidae diutius non toleravit. Pater deorum Vulcanum procudere¹⁴ catenas¹⁵ iussit, quibus Prometheum in monte Caucaso per Mercurium ad saxuni ingens religavit¹⁶ et immisit in eum aquilam, quae iecur¹⁷ eius perpetuo roderet. Per saecula multa affectus est poenā ignifer¹⁸ sub rupe Caucasiā ligatus, donec Hercules sagittā avem interfecit et cruciatibus¹⁹ diu vexatum liberavit. Tum demum Iuppiter iram in genus Iapeti audax remisit. (em.)

¹ találmany ² gazdagít ³ addig ⁴ földi lakók = emberek ⁵ téglák ⁶ évszakok ⁷ igába fog ⁸ megbaboláz ⁹ elbizakodottság ¹⁰ kis fáklya ¹¹ odatart ¹² szikra ¹³ lop lehozó ¹⁴ kovácsol ¹⁵ lánc ¹⁶ kötöz ¹⁷ máj ¹⁸ a tüzet



De Philoxeno.

Philoxenus,¹ poeta Cythereius, adulandi contemptor ipsis quoque tyrannis simpliciter et aperte dixit, quod in animo habuit.

Quodam die Dionysius, tyrannus Syracusanus carmina a se composita assecatoribus,² qui ea legerent iudiciumque de eis dicerent, tradidit.

Nimirum³ omnes tyrannum laudabant, unus Philoxenus dicere audebat carmina non esse pulchra, immo plura absona,⁴ quae nullius essent pretii.⁵

Quibus auditis Dionysius poetam in carcerem includi iussit.⁶ Amici Philoxeni clementiam a tyranno exposcebant, qui postremo poetam sincerum⁷ e custodia emisit.

Eodem die, quo poeta libertatem recuperavit,⁸ Dionysius alia nova carmina condidit,⁹ quae Philoxeno tradens ab eo postulavit, ut de iis quoque sententiam diceret.

Carminibus perfectis poeta ad custodem versus hoc modo dixit:

— Reduc me in carcerem!

Nunc iam tyrannus mente comprehendit¹⁰ poetam recte iustum et sincerum fuisse et libertatem ei reliquit.

Geyza Soos
disc. cl. VIII. gymn.-realis
Budapestinensis.

¹ (Kr. e. 435–380) ² környezet ³ természetesen
⁴ rossz hangzású ⁵ semmit sem ér ⁶ bebörtönöz
⁷ őszinte ⁸ visszanyer ⁹ költ ¹⁰ megértette.

Claudii.

Ad fabulam *Ernesti Eckstein* latine scripsit
Valentinus Fehér.

IV. Liberator.

Romae ad Lycoridem, Gallam feminam ditissimam multi homines convenerant. Martialis, poeta ingeniosus, acerba¹ poemata recitavit. Quintus ad illud lautum² convivium Aurelium quoque adduxerat. At cum finito convivio securarum³ ioci⁴ secuti essent, Aurelius, ut erat honestus castusque, rem fastidiens⁵ discessit.

Tum Lycoris ex Quinto quaerit:

— Quem mirificum atque opicum⁶ convivam duxisti in meam domum? Quamquam adolescens est, obsoletus⁷ philosophus esse videtur.

— Hic opicus obsoletusque philosophus — respondet Quintus — unus est ex generosissimis atque optimis hominibus.

At ne Quintus quidem bene se habebat. Ex quo servum illum viderat atque Aurelium cognoverat, cunctas delicias ac voluptates negligere cooperat. Quare cum alii convivae advenissent, opportuno tempore usus et sensim elapsus⁸ in horto ambulabat.

Repente virgultum⁹ a tergo concrepuit¹⁰ et confusae¹¹ voces ad aures pervenerunt. Subsequenti punto temporis duo homines eum praetervolarunt per semitam angustam, quae in summum collem ferebat. Post eos duo homines currebant.

— Per Iesum — gemit unus acerbe — quaeso, relinquite me! Non possum longius ire.

— Esto forti animo Eurymache! — surrat¹² sodalis et robustis eum bracchiis amplexus secum trahit. — Complectere umeros... centum passibus confectis salvi erimus.

Iterum sonitus graduum et turbidi clamores audiuntur. Mox armati milites inter arbores apparent. Primus eorum ad Quintum pervenit.

— Secede¹³ mihi, sicarium¹⁴ persecuimur! — clamat Quintus de via detrudere conans.

Res mira accidit. Quintus, vir nobilis, ardenti cupiditate capitur, ut fugaci servo sit auxilio.

— Nebulo proterve!¹⁵ — clamat irā simulata — Quintumne Claudium illota¹⁶ manu tangere audes?

Et correpta manu eum reiicit. Servus in terram cadit. Interea Quintus ceteris quoque servis, qui advenerant, angustam semi-tam intercludit.¹⁷ Servi stupidi¹⁸ modo Quintum modo sodalem intuentur.

— Vacerrae!¹⁹ — ait tandem ridens — Cur non statim dixistis, de qua re ageretur?²⁰

Servi de via secedunt et examinati²¹ longius currunt.

— Agitedum! — inquit secum Quintus — Praeda nunc e manibus vestris elabetur.

Quintus convivas maxime concitatos et disputantes repperit. Unius Stephani facies erat quieta ac frigida. In gramine cruentum ingentis viri corpus iacebat. Sex servi trementes eum circumstabant; Stephanus ex ore morientis verba extorquere temptabat.

Triginta fere passus ab hac maesta caterva quattuor gladiatores in sanguine iacebant. Corpora eorum foede vulnerata erant.

— Narra tandem aliquando — rogat Quintus Lucium Norbanum, praefectum praetorio — quid hic acciderit, dum in horto ambulabam?

— Malum omen! Hic sedentes cenam libenter²² consumebamus. Aulaeum²³ scena²⁴ ex tempore²⁵ factae²⁶ tollitur. Musica pulcherrima auditur. Quidam nebulo egressus in fabula maleficum quendam, nomine Eurymachum interfactum iri dicit.

— Quid? — ait Quintus exterritus.

— Eurymachum, inquam, occisum iri, quod in Stephanum capitale²⁷ scelus commisisset. Servus seminudus²⁸ in scenam trahitur. Caput sertis²⁹ ornatum est. Minime videtur metuendus. Tum cruci defixa scalas³⁰ tortores³¹ applicant, praeparant clavos³² et malleos;³³ at subito quattuor homines vultu fuliginoso³⁴ prosiliunt et pallidum Eurymachum abripiunt. Nos rem ad fabu-

¹ csípős ² pazar ³ bohóc ⁴ tréfa ⁵ megutál
⁶ világítól elmaradt ⁷ ósdi ⁸ kiszökkik ⁹ cserje
¹⁰ megzörren ¹¹ zavaros ¹² súg ¹³ félre ¹⁴ gyilkos
¹⁵ szemtelen ¹⁶ piszkos ¹⁷ elzár ¹⁸ bamba ¹⁹ tökfilkó
²⁰ szó van ²¹ eszeveszett ²² javában ²³ függöny
²⁴ színpad ²⁵ rögtönözött ²⁶ föbenjáró ²⁷ félmezetlen
²⁸ koszorú ²⁹ létra ³⁰ hohér ³¹ szeg ³² kalapács
³³ kormos.

lam pertinere arbitramur. Tortores eos insequuntur. At ecce gladiator ingenti statura eis obsistens, educto gladio tortores crudeliter secare incipit. Iam tres servos trucidaverat, cum unus gladium in pectus eius infigit. Contremiscit, gladium elevat, ultimo ictu caput servi dissecat. Stephanus calidam afferri iussit aquam, qua eum ad loquendum cogeret.

Frons Quinti ira persunditur, Stephanum adit. Tum vas aquae calidae plenum a duobus servis afferunt.

Eodem tempore redeunt servi, qui Eurymachum insecurti erant.

— Domine — ait unus ex iis — re³⁴ infecta³⁴ revertimur. Eum adipisci potuissemus, nisi Quintus Claudius nobis viam interclusisset.

— Verumne servus iste dicit? — interrogat Stephanus pallidus.

— Verum. At si ego in horto Lycoridis ambulo, quomodo veniat mihi in mentem horis nocturnis esse homines, qui servum insequantur?

Tum Stephanus ad hominem moribundum aggreditur.

— Mute³⁵ canis! Iam ego te frangam. Aspice hoc vas. Ultimo te interrogo: quis es? qui sunt tui sodales? Vin³⁶ respondere?

— Nolo — ait ille extrema virium³⁷ contentione.³⁷

— Ergo iudicium repraesentetur.³⁸

— Satis sit de ioco! clamat Quintus ira incensus. — Fassisite³⁹ hinc!

— Haec est violentia! — inquit Stephanus. — Agite, servi!

— Iam sero iubes: victima enim mortua est.

Tum Stephanus cadaver auferri iubet.

Paulo post convivae Lycoridis comissari⁴⁰ perrexerunt.⁴⁰

³⁴ eredménytelenül ³⁵ néma ³⁶ akarsz-e ³⁷ erőfeszítés ³⁸ teljesül ³⁹ takarodjatok ⁴⁰ tovább mulat.

Canis canistri malus est custos.

*

Puerum rege, qui nisi paret, imperat.

*

Beneficium accipere, libertatem est vendere.

Causidicus.

*Scripsit Andreas Nyáry. In Latinum convertit
Aem. Láng.*

Vendelinus¹ Csutorás in extremo vico constituit, digito indice² caput scalpebat,³ dein retro-versus minitabatur: hoc non impune feres, Kopacsek!

Inde ab origine mundi haud quisquam tam deceptus erat, quam Vendelinus Csutorás a caupone vicano⁴ Kopacsek.

Casus⁵ insolitus cum porco⁶ empto est implicitus et cohaeret.

Vendelinus in⁷ foro⁷ suario⁷ viginti pentonibus⁸ porcum sibi emit, quem adhuc hoc auctumno saginaret.⁹ Porcum vividum recte¹⁰ et¹⁰ ordine¹⁰ in saccum¹¹ intromisit, saccumque in humero repositum baiulabat.¹² Quia adhuc rem habuit cum¹³ exactoribus¹³ propter tributum¹⁴ soli¹⁴ residuum,¹⁴ porcum cauponi, quocum multa consuetudine¹⁵ coniunctus erat, in custodiam tradere sibi optimum fore videbatur.

Timebat enim, ne porcus forte in sacco grunniret¹⁶ et una cum illo et ipse a dominis exactoribus eiiceretur. Itaque ergo in¹⁷ cauponam¹⁷ adiit.

Kopacsek erat homo officiosus,¹⁸ hospites semper in magno honore habebat. Cum audiret, quid Csutorás sibi vellet, clavos¹⁹ parieti¹⁹ adactos¹⁹ monstravit.


Religes²⁰ clavo, inquit, saccum, quem si redieris, ibidem invenies.

Vendelinus dicto²¹ audiens²¹ saccum clavo religavit, cauponi pro benignitate gratias egit et in telonium²² ibat.

Vixdum senex Hungarus cauponam reliquerat, Kopacsek saccum dempsit, porcum spectavit eumque cum sacco celeratim ad socerum misit, ut apud se haberet, dum reposceret.

Haud multo post Csutorás rediit. Ecce²³ me!²³ dixit hilariter et veloci oculo pariente percurrit. Ubi est porcus?


¹ Vendel ² mutató ³ vakargatta ⁴ falusi ⁵ törtenet ⁶ süldő ⁷ sertéspiac ⁸ pengőért ⁹ fölhizlalja ¹⁰ annak rendje-módja szerint ¹¹ zsákba ¹² vitte ¹³ adószedőkkel ¹⁴ földadóhátrálék ¹⁵ érintkezés ¹⁶ röfög ¹⁷ a korcsmába ¹⁸ szolgálatkész ¹⁹ a falbavert szegekre ²⁰ akaszd ²¹ szótfogadva ²² vámház adóhivatal. ²³ ime, itt vagyok.



Caupo simulabat se nescire, quid ille vellet.
Quinam porcus?
Quem paulo ante tibi custodiendum tradidi.
Renuit²⁴ negitatque caupo. Mihi quidem nullum tradidisti.

Csutorás nictabatur:²⁵
Iocaris?
Minime²⁶ gentium!²⁶
Tanta impudentia bilem²⁷ movit²⁷ Vendelino.
Papae!²⁸ In sacco fuit — persequebatur ius²⁹ suum.²⁹

Caupo caput³⁰ quatiebat:³⁰
Nihil de hac re scio. Forsitan somnies?³¹
Vendelinus in iras exarsit:
Si tua³² sponte³² non reddes, nomen³³ tuum³³ deferam.³³
Caupo simulabat se iam patientiam³⁴ rupisse:³⁴



Contio sacra¹ aedis cathedralis Sancti Stephani Budapestini priore anno a. d. XII. Cal. Ian. celebravit quinquagenarium² Pii XI. Summi Pontificis sacerdotii² decursum.²

Missam sollemnem Ioannes Mészáros vicarius archiepiscopalis celebravit, qua finita in sacrario monumentum Pontificis Maximi

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Cyrus, rex Persarum, Ionibus, qui pacis conditiones repudiatas¹ reposcebant, narravit casum tibicinis. Is enim ad alliciendos² pisces tibia cecinerat; sed cum pisces auscultarent, saginā³ immissā multos pisces cepit. Quos cum palpitantes⁴ intueretur, «Temperate iam — inquit — a saltatione, qui me canente saltare noluitis».

(Herodotos.)

*

Glaucus, puer Boeotius, agriculturae ope-

Parce, amice, verbis, dixit ad senem versus, gratuita³⁵ sunt.³⁵ Habesne testem testificantem porcum a te hīc relictum esse, an non? Si non habes, causam³⁶ nusquam obtinebis.³⁶

Csutorás tandem intellexit, quomodo res esset. Kopacsek porcum suppressit.³⁷ Priusquam vero respondere potuisset, caupo exit et forem³⁸ adduxit.³⁸ Incertus erat, quid nunc faceret. Irā saeviebat et secum³⁹ musitans³⁹ in plateam⁴⁰ exibat.

(Ad numerum proximum.)

²⁴ ellene mond ²⁵ hunyorgatott ²⁶ semmiesetre sem ²⁷ fölkavarta epéjét ²⁸ ejnye! ²⁹ igazát ³⁰ fejét csóválva ³¹ álmodsz ³² önszántadból ³³ följelentelek ³⁴ elvesztette a türelmét ³⁵ t. i. verba (hiábavaló) ³⁶ a pert — fogod megnyerni ³⁷ elsikkasztotta ³⁸ az ajtót maga után behuzta, betette ³⁹ a szakállába dörögve ⁴⁰ utca.

e marmore candido confectum develatum est.³ Monumentum imaginem⁴ Summi Religionis Antistitis obliquam⁴ ostendit, cui Hungarica inscriptio addita est:

IN MEMORIAM REI DIVINAE
QUAM ACHILLES RATTI
PIUS PAPA XI
MENSE IUNIO ANNO MDCCCXCI
IN HOC SACELLO FECIT.

Opus caelatum Josephus Dankó statuarum artifex⁵ fecit.

¹ egyházközség ² papságának ötvenéves jubileumát
³ leleplez ⁴ profil-kép ⁵ szobrászművész.

ram cum patre dabat. Aliquando dilapsum vomerem manu sua, tamquam malleo,⁵ restituit. Cuni pater tantas corporis vires vidisset, duxit eum in Olympia, ut certaret. Iam puer, ut certaminis imperitus, ab adversario graviter urgebatur. Tum pater exclamavit: «O puerum istum ab aratro!» (His verbis eum monere voluit, ut ictum infligeret).⁶ Adolescens his verbis inflammatus ingenti plaga⁷ adversarium percussit et vicit.

(Pausanias.)

¹ elutasít ² csalogat ³ zsíros falat (csalétek)
⁴ vergődik ⁵ kalapács ⁶ rácsap ⁷ ütés

Solutions aenigmatum Numeri IV.

I. Troia; sum; Iulius Caesar; terga; mus; fumus; Interamna; Miles gloriosus; moenia; fuga. — Versus Aeneidis: Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum. — II. Nomen poetae Romani: *Lucretius Carus*. — III. lac; diu; cur; tot; clivi; cornu; cis: *Curtius*.

Aenigmata numeri IV. recte dissolvunt: Budapestinenses: *Classis VI/B.* gymn.-realis, nominati de Stephano Verbőczy, *Lucia Fayer*, *M. Berényi*, *A. Lehmann*, *Cam. Takács*, *Andr. Weisz*, *Lad. Kepes*. — Sopianenses: *Norb. Karg*, *Alex. Fővenyessy*, *Iul. Wattamány*, *Sigism. Fröhlich*, *Thom. Matlyasovszky-Zsolnay*, *Em. Neuser*, *Lad. Pichler*. — Veszprémenses: *Laura Hardy*, *Io. Leiker*, *Lud. Kurcz*, *Steph. Villányi*, *Hel. Szakács*, *Io. Nagy*, *Ios. Oswald*, *Fr. Csehi*, *Ios. Albrecht*, *Mich. Pelrák*, *Mich. Pfleger*, *Io. Walz*, *Lad. Szantner*, *Lad. Lőv*, *Io. Dáloki*, *Andr. Világgyi*, *Ios. Skapér*, *Fr. Szelmayer*, *Andr. Szabó*, *Io. Taál*, *Alex. Lauschek*, *Lad. Tóth*, *Andr. Horváth*, *Lad. Kulcsár*, *Lad. Horváth*, *Io. Lichtenberger*. — I. Piukovich (*Dombóvár*), *L. Kalona* (*Sopron*), *Car. Zollán* (*Szolnok*), *Nic. Rosenberg* (*Keszthely*), *Alb. Porkoláb* (*Debrezen*), *Lad. Radnai* (*Szolnok*), *Rud. Orbán* (*Zirc*), *A. Héber* (*Gyöngyös*). — Praemium *Camillae Takáts* adiudicatum est.



I.

Syllabis sequentibus: a, a, bde, bi, bus, ce, chi, cnus, e, e, ge, go, la, le, li, lu, ma, mae, men, men, mus, nas, ne, nes, ni, nus, o, o, o, o, o, on, or, os, pa, qui, ra, re, re, re, ren, ri, ri, ri, ris, si, stil, sus, ta, thon, ti, ti, tos, tum, ty, us, componenda sunt nomina hisce circumscripta:

1. amicus Euryali (2 syll.)
2. alio verbo: principium (3 syll.)
3. mons in insula Ithaca (3 syll.)
4. cum Cadmo Thebas condidit (3 syll.)
5. Neptuni filius (2 syll.)
6. oppidum Calabriae, nunc Taranto vocatur (3 syll.)
7. praesidium et dulce decus Horatii poetae (3 syll.)
8. conditor Mantuae (2 syll.)
9. frater Romuli (2 syll.)
10. rhetor Alexandrinus (4 syll.)
11. locus natalis cuiusdam philosophi Graeci (3 syll.)
12. alio verbo: lux (2 syll.)
13. deus tenebrarum (3 syll.)
14. hoc nomen accepit Romulus post mortem (3 syll.)
15. nomen est.... (2 syll.)
16. alio verbo: oliva (3 syll.)

17. ludimagister plagosus Horatii (4 syll.)

18. Priami filius (2 syll.)

19. Terraë filius (2 syll.)

20. uxoris Catilinae (4 syll.)

Litterae horum nominum *initialles deorsum lectae inscriptionem reddunt, quae in domo quadam arcis Veszprémiensis insculpta est.*

(*Franciscus Szabó*.)

II.

Pro his vocabulis idem significantia, quae vulgo synonyma dicimus, ponantur ita, ut primis litteris vocabulorum novorum proverbium redatur: confiteor, cena, forma, servo, piger, nubes, pugna, rupes, cibus, recens, procella, atque.

III.



Epigrammata tristicha aenigmatica:

Funduntur lacrimae, sed non est causa doloris. Est iter ad caelum, sed me gravis impedit aer. Et, qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

IV.

Ex alto venio, longa delapsa¹ ruinā. De caelo cecidi medias transmissa per auras: Et sinus,² effudit qui me prius, ipse recepit.

¹ leszáll ² t. i. a tengereké és a folyóké, amelyből származott.



Hoc numero primum spatium semestre anni XIV. finitur. Itaque rogamus sodales nostros, qui pretium *Iuventutis* nondum solverunt, ut rem componere velint. — *Ios. Krebsz*, *Iul. Viktor*, *Nic. Bathó*, *Lad. Kepes*: Solutiones bonas, sed tarde misit. — *Lad. Kepes*, *Ios. Oswald*, *Ios. Albrecht*, *Lad. Mikovich*: Fieri potest, ut aliquid e vestris *Iuventuti* asseram. — *Steph. Frühbauer*: Bene rem enarrasti, nihilominus aliud mittas velim. — *Lud. Korenchy*: Selecta e tuis prodibunt. Versiculus aliquantulum claudicat. — *Seb. Módly*: Gratias pro fabulis! — Tua gratulatione vir doctissime in novum annum scripta Tibi magnopere devinctus sum. Equidem ego omnia fausta Tibi precor.



Moderator ephemericis: *EUGENIUS FRAY DR.*

Budapest, I., Verpeléti-út 22,
ad quem epistolae et manuscripta mittantur.

Administratio *ibidem*.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-
scholarium Catholicorum. — A Katholikus
Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: *STEPHANUS ACSAY DR.*, elnök.)